dilexi te; hoc habet ſancti as, [quòd eos,quibus invidemus, eorum bonitate,ac ſanctitate cognita, poſtea in veneratione habemus.

185. *Albert.* Sextò Albertus Magn. *Dicit ergo*,ait *faciam illos, ut veniant ſcilicet ad fidem, & adorent, ſcilicet Deum,ante pedes tuos, parati ad imitationem operum ex veneratione perſonæ,qui modo opera Eccleſiæ deſpiciunt.* Nonne ad converſionem Judæorum,ac fidem eorum promiſſam,ſat erat quod derelicta ſua perfidia,ac infidelitate Judaiſmi venirent tota mente ad Chriſti fidem amplexendam;ad quid ultra additur,quòd adorabunt ante pedes tuos Meritò ſanè;quia non ſat eſt fidem habere mente,niſi ſit etiam teſtificata operibus.

Fides aſſociata ſit bonis operibus.

186. Caïn,& Abel obtulerunt munera ſua Deo, *Reſpexit Dominus ad Abel,& ad munera ejus: ad Caïn autem,& ad munera ejus non reſpexit.* Gen.4.n.4 & 5.D.Auguſt.l.15.de civitate,ait, difficilè ſcitu eſſe invenire,in quo Caïn Deo diſplicuit.Nam Paulus ait ad Hebræ.11.n 4.*Fide plurimam hoſtiam Abel,quam Caïn obtulit Deo*: Ex quo liquet, quòd Caïn etiam fidem habebat erga Deum ſed in quo fides illius differebat à fide fratris,qui acceptus erat Deo,ipſe autem inviſus; Nota quòd fides plurima illa dicitur quæ eſt cum operibus ipſi fidei proportionatis; non ergo mirum Abel,& munus ejus Deo eſſe acceptum (obtulit enim de melioribus gregis ſui) non autem reſpexit fratrem,ſive Caïn,nec ejus ſacrificium,qui ſolùm habebat fidem ſine operibus convenientibus,obtulit enim de fructibus terræ vilioribus ac deterioribus,unde ejus fides in nullo æſtimabatur. Thomas Anglicus, ait, *Patet quòd Abel habet fidem per dilectionem optimam,& ideò Caïn non placuit Deo; quia non habuit charitatem.*

Geneſ. 4. D Auguſt. Hebræ. 11.

Fides ſine operibus non placet Deo.

Thom.Ang.

187. Cùm jam ceſſaſſent aquæ diluvii. *Columba venit ad Noë veſperam portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo.*Gen.8.n.11.Qui ramus,ut placet D.Auguſt.tract.6.in Joan ſimul cum fol is habebat fructus:cur in ſign um extincti diluvii fert Columba ramum viridem ad Noë,tanquam nempe trophæum ejus eximiæ fidei,quam habuit in contradictione aquarum diluvii quod ab illa arca liber,& immunis ipſe cum tota famiia ſua exiturus eſſet. Ramus ergo adducitur pro ſymbolo,ac victoria fidei juſti, & ad hoc nonne ſufficiebat,quòd, tantùm eſſet ramus viridis, ad quid ultra cum fructu aſportatur, Juſtus ex fide vivit,& fides ſine fructu juſtitiæ nihil valet:nam fides ſine operibus ad conſequendam ſalutem nulla eſt. D.Iſidor.lib.2.ſentent.cap.2.de fide *Vacua eſt ſine operibus fides,& fruſtra de ſola fide blanditur,qui bonis operibus non ornatur.*Vide cap. 1. q 13.num.97 98.

Gen. 8. D. Auguſt.

Vacua fides ſine operibus.

D. Iſidor.

*Apoc.*3.*n.*10.Quoniam ſervaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſervabo te ab hora tentationis,quæ ventura eſt in orbem univerſum tentare habitantes in terra.

Num. 11. Ecce venio citò, tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam

VERSIONES.

Syrus n. 10. Propterea quod ſervaſti verbum tolerantiæ meæ, & ego ſervabo te ex hora tentationis venturæ ſuper univerſum orbem habitabilem totum ad tentandum eos qui habitant ſuper terram.

*Arabicus.*Quoniam ſervaſti verbum præcepti mei ego etiã ſervabo te horâ explorationum, quæ futuræ ſunt, nam tentatio invadet omnes habitantes terram.

*Vatabl.Tygur.*Quoniam ſervaſti ſermonem perſeverantiæ meæ.

Primaſius. Ego te tuebor ab hora tentationis, quæ ventura eſt univerſo, tentare eos, qui habitant terram.

Aretas. Servabo te ab hora afflictionis, quæ ventura eſt, ut affligat habitantes in terra.

Richardus. Servabo te ad horam tentationis.

Arias. Futuræ,venire in terram habitatam univerſam.

*Syrus.n.*1. Et cave,ne quis accipiat coronam tuam.

Arabicus. Ecce enim veniam citò, &c. ne quis auferat.

EXPOSITIO VIII.

*QUONIAM ſervaſti verbum patientiæ meæ.*Hæc referuntur non ad 188.
antecedentia,ſed ad ſubſequentia: redditur ratio, cur Dominus ſervabit eum ab hora tentationis. *Quoniam ſervaſti verbum patientiæ meæ*, ſcilicet præceptum meum, quo ego præcepi, ut patienter, ac longanimiter ſuſtineantur preſſuræ patientiæ meæ (patientiam dicit ſuam, quam ipſe verbis præcepit, & exemplo ſuo docuit) hac de cauſa remunerans te.

Ego te ſervabo immunem ab hora tentationis. 189.
Hora hîc propriè non ſumitur pro ſuo immediato ſignificato,ſed pro brevi tempore. Joan. 1.cap n.18. *Filioli noviſſima hora eſt.* Alcazar ait, quod juxta Græcos abſolutè ſignificat tempus: hic quatuor anni tempora vocant horam æſtivam, horam autumni, horam hyemis,horam veris:ſic horam juventutis vocant ætatem

Joan. 2. Alcazar.

ætatem juventuris, *Ab hora tentationis*,ſcilicet crudeliſſimæ perſecutionis ſub Traiano, quæ paulò poſt excitata fuit: *Quæ ventura eſt in univerſum orbem* Nam Traianus præcepit inquiri, & occidi Chriſtianos ubique terrarum inhabitantes, ut tradit Euſeb.lib.3. hiſtor Eccleſ.c. 32. quod permiſſum eſt à Deo,ut Chriſtiani tanquam aurum probarentur.

Euſeb.

Ecce venio citò. Aliqui hæc referunt ad ad-
190. ventum extremi judicii, tamen probabilius ait Chriſtus, quòd citò adveniet ad eum adjuvandum cum ſuo auxilio,ac etiam ut ei mercedem reddat vitæ æternæ. *Tene quod habes*, fortiter, ac conſtanter conſerva tuam patientiam, ac fortitudinem, in qua cœpiſti,ut non alicui pero ſecutioni ſuccumbas: U*t nemo accipiat coronam tuam*, ne pro te alius ſubſtituatur, ut mercedem,& coronam, quam tibi paraveram, alius accipiat.

QUÆSTIO XXIV.

Quare ſervanti verbum Chriſti datur in præmium, quòd Dominus ſervabit eum?

191. IN perſona Chriſti dicitur Epiſcopo. *Quoniam ſervaſti verbum patientiæ meæ, ego ſervabo te.* Ait, *ſervaſti verbum*, ſeu, *præceptum patientiæ meæ.* Rupertus hîc, id eſt, *verbum propter quod paſſus eſt, quod eſt illud, niſi dilectio*: Ac proinde per verbum patientiæ charitatem interpretatur, ſolùm enim amoris nutu, tot & tanta ſuſtinere poterat Dominus: Aliter Haymo,& Beda verbum *patientiæ* interpretantur exemplum patientiæ Domini, per quod nos exhortatus eſt ad patientiam.Tamen Albert.Magn. Cornel à Lapide, Menoch. Tirinus, La Haye exponunt ipſum præceptum patientiæ in laboribus, & adverſis.Nam, ut rectè ait D. Cyprian. tract. de bono patientiæ. *Hac ait,nihil utilius ad vitam,vel majus ad gloriam, quàm ut, qui præceptis Dominicis obſequio timoris, ac devotionis innititur, patientiam maximè tota obſervatione tueatur.*

Quid ſit verbum patientiæ. Rubert. Haymo. Beda. Corn. Menoch. Tirin. La Haye.

192. Quæſtio tota inquirit cur ſervanti verbum, ſeu præceptum de patientia in præmium promittit Dominus,quòd ipſum ſervabit? Eſt præclara antitheſis?tu ſervaſti verbum meum, ego ſervabo te, qui ſum verbum; tum in illo mihi gratificatus, ego verò tibi in hoc; neque enim Dominus unquam ſinit ſe vinci ſervitio; ſed rependit multiplicatum, & majus. Et quanquam tenebatur Philadelphus ſervare verbum Domini de patientia; ſic eum tamen Dominus remuneratur,ac ſi non eſſet obligatus, & multipliciter remuneratur,tum mercede auctæ gratiæ, & gloriæ, tum ſingulari protectione ac privilegio, quod eſt liberare eum ab hora tentationis, quæ ventura eſt in univerſum mundum, ut te efficiam columnam in templo meo. *Servabo te* inquit Rupertus, per ſcientiam ſacræ Scripturæ, qua cuſtoditur, & ſervatur homo ab omni hæreſi, & tentatione; & ideò ſuprà dixerat. *Dedi coram te oſtium apertum*; per quod oſtium multi intelligunt ſacram Scripturam, ut ibi dixi, quæ eſt oſtium apertum ad gratiam, & regnum cœlorum. *Servabo te ab hora tentationis.* Rupert. *Tentatio hæreſum eſt, quam oportet eſſe, inquit Apoſtolus, ut qui probati ſunt, manifeſtè fiant, ab illa tentatione qui illæſus ſervatur, niſi cui ſcripturarum veritas ſuffragatur:hoc autem Angelo Philadelphiæ nota pro merito dilectionis promitti, vel dari intelligimus in oſtio aperto.*Intelligent a Scripturarum pro magno dotatur, ut oſtium apertum a dſa lutem.

Scripturæ præſidio hæreſes vincimus.

194. Tamen vera, & communis ſententia eſt, *Servabo te ab hora tentationis*, mea gratia, ac protectione, ut pondus tentationis ſuſtineas, & illi non ſuccumbas. Thomas Anglicus exponit ſervabo te, non ut non tenteris, ſed ut tentatione non vincaris; quòd refutat Cornelius; *Tunc enim*,ait,*dicere debebat,ſervabo te in hora,jam autem dicit ſervabo te ab hora.*Sed ratio non convincit:majus eſt ſervare tentatum, & victorem efficere, quàm efficere ut non tentetur removendo ab ipſo omnem tentationem; nil glorioſius, quàm in tentatione vincere. Ait David Pſalm.128. n 1. *Sæpè expugnaverunt me à juventute mea; etenim non potuerunt mihi.* Chald. legit: *Non potuerunt inferre mihi malum.* Græcus apud Chryſ. *Non prævaluerunt mihi.* Sæpè ſe expugnatum dicit, ut ſæpè hanc ſui gloriam decantet, quòd nunquam expugnatus fuerit: multiplex impugnatio multiplicem parturivit gloriam, & victoriam de proſtratis inimicis. D. Zeno in prædictum Pſalm. 128. *Maneamus ergo*,ait, *ut ſæpè impugnemur,& ſæpe impugnati habeamus hanc gloriam, ne aliquando cedamus: & hinc fuit impugnationis noſtræ aſſiduitas, quod non ſit impugnantium præpotens fortitudo.*

Anglic.

Magna gloria in tentatione vincere.

Pſalm. 128. Chald.

Græc. D Zeno.

195. Et dicitur, *ſervabo te ab hora tentationis,quæ ventura eſt in orbem univerſum,tentare habitantes in terra.* Tentatio,quæ ventura eſt in orbem univerſum tentare habitantes in terra,ipſa tentatio perſecutionis apprehendet homines terrenos,& eos devincet, ac proſternet. Ait ergo Deus huic Epiſcopo pro magno beneficio, ab hac ergo tentatione ego mea protectione te ſervabo immunem,& faciam victorem: eadem quippe tentatione,qua juſti probantur, & non ſuccumbunt,injuſti corruunt.Haymo, *Tentantur*,ait, *inhabitantes terram, ideſt, terrena diligentes,& vincuntur;electi autem;quorum converſatio eſt in cœlis, ad hoc tentantur,ut probati coronentur,non ut ſeducti damnentur.*

Eadem tentatione probantur juſti.

Haymo.

De proceloſo, ac furenti mari ait Dominus 296.
Jobi 38.n.10, *Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia.* Ex Græco legitur: *Et poſui illi terminos, & imponens clauſtra,& portas*; Frementibus maris fluctibus præter quam quòd Deus poſuit terminos, hoc eſt furendi menſuram & metam,& inſuper addidit clauſtra & portas. Sed ad quid clauſtra ponuntur, ubi ſimul & portæ ſunt? Portæ ita claudunt, ut ſimul aperiant,ut dent locum evaſioni; clauſtra autem ſolùm claudendis, obſtruendis exitibus deſerviunt. Ad quid ergo ponuntur fluctibus clauſtra;quæ ſemper claudant, ſi ſimul ponuntur portæ,quæ aperiri poſſint? Per tempeſtuoſum mare, juxta ſanctos Patres hoc proceloſum ſæculum interpretatur, in quo feri fluctus tentationum ac laborũ intumeſcunt, & ibi impii habent clauſtra,ut ibi concluſi ac implicati pereant, ac internecioni dentur;portæ verò ibi ſunt juſti, ut à tentationibus expediti in ſalutem,

Job 38.

Tentationes iniquis occludunt aditum ad vitam, juſtis verò aperiunt.

D. Auguſt.

tem pergant; ſic ait ad citatum locum D. Aug. *Terminos poſuit*, ait, *quibus ſævitia cohibeatur, non ut nihil affligat, ſed quoſque exerceat; clauſtra, ut injuſti non progrediantur: portas, ut ab eis juſti egrediantur*. In hujus rei figuram, cum filii Iſraël incederent per medium maris rubri, eoſque inſequerentur Ægyptii Exod. 14 n. 28. *Reverſæ aquæ operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis: nec unus quidem ſuperfuit ex eis, Filii Iſraël autem perrexerunt per medium ſicci maris*. Aquæ ſunt impedimentum Ægyptiis, quibus involvuntur, ne progrediantur; Iſraëlitis ſunt clariſſimæ viæ, ac apertiſſimæ ad pergendum in ſalutem.

Exod. 14.

Ait anima ſancta, *Surge Aquilo, veni Au-*
197. *ſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius*, Cantic. 4. n. 16. Sto in ſententia eorum, qui putant utrumque ventum Aquilonem, & Auſtrum in præſenti vocari ad hortum ſponſæ; quod Auſter vocetur, nulli eſt dubium, ſub hujus enim leni aura terra emollitur, & flores erumpunt; ſic per benignam Spiritus ſancti auram, incipiunt humana corda ſpecimen præbere virtutum. Sed ad quid ultra exoptatur Aquilo frigidiſſimus, qui nil novit, niſi hyemes, & nives parturire; de quo ait Ierem. 1. n. 14. *Ab Aquilone panditur malum ſuper omnes habitatores terræ.* Cur ergo ſponſa tam ſiniſtrum ventum vocat in hortum ſuum? Per rigidum, ac frigidum Aquilonem intelligunt tentationes, Aponius. D. Anſelmus, Richardus, & alii, nam his animæ maximè commoventur, ac conturbantur; nam licet ab Aquilone tentationum omne malum veniat ſuper iniquos & obduratos peccatores; tamen dum ille inſufflat, ſuper juſtorum, hortum tunc ab illo profluunt omnium virtutum aromata, fortitudinis, conſtantiæ, charitatis, ac caſtitatis; nam tentationum aquilone, quo devicti iniqui premuntur, illo juſti triumphatores exaltãtur, & ſublimantur. Richardus; *Per Aquilonem tentationum confringuntur quodammodo, & ligantur aquæ gratiarum, virtuteſque præpediuntur, & Deus miſertus piæ animæ, quam tentando probaverat, dulcedinem illi exhibet Spiritus ſancti.*

Cant. 4.

Hierem. 1.

Tentationibus pereunt iniqui, juſti verò exaltantur.

Apon. Anſelm. Richard.

Quæstio XXV.

Quare Dominus ait Epiſcopo non ſolùm quod ipſe veniet, ſed etiam addidit, quòd citò veniet?

198. Ait Dominus huic Epiſcopo Philadelphiæ. *Ecce venio citò, tene quod habes.* Non ſolùm dixit ei, quod veniet; ſed inſuper addidit, quòd citò veniet? ex magno ſanè myſterio.

199. Richard.

Reſpondet primò Richardus de S. Victor. *Quia in tribulatione poſitus erat, utpote cui inter infideles, & in medio nationis pravæ, & perverſæ manebat, & tentationem venturam eſſe audiebat, rectè, ne in preſſura deficiat, ſe citò venturum videlicet ad remunerandum denuntiat, ait ergo, ecce venio citò, quaſi diceret, viriliter omnem ſuſtine tribulationem pro me, quia ecce venio citò ad remunerationem*. Non ſolùm dicit Dominus, quòd veniet, ſed etiam quòd citò veniet locutus fuerat immediatè de tentatione, quæ ventura erat in univerſum orbem, ut virili animo ei reſiſtere, fortiter ac conſtanter in ea perſiſteret, ait ſe citò venturum ad præmium conferendum: *Se citò venturum ad remunerationem denuntiat*. Valida enim eſt ſpes proximæ remunerationis, ut ardua aggrediamur, & difficilia fortiter ſuſtineamus.

Spes præmii valida eſt ad dura toleranda.

220.

Servo ſuo in tribulatione poſito citò adeſt Deus.

Pſalm. 45. Ruffin. Arnob.

Secundò *ecce venio citò*, immediatè antea prædicatum fuit Epiſcopo, quòd tentatio adventura eſſet in orbem, ecce ſtatim ei promittitur Dei adventus cum auxilio quia ſervo ſuo in tribulatione, ac preſſura poſito, citò ac velociter adeſt Deus adjuvans, ac auxilians. Inde ait Regius Vates Pſalm. 45. n. 6 *Adjuvabit eam Deus, manè diluculo*. Ruffin. lib. 5. in Oſeam legit: *Adjuvabit eam Deus vultu ſuo*. Non ſolùm adjuvabit matutino tempore, ſed etiam valdè diluculo, vultu ſuo, ſeu intuitu oculorum ſuorum, qui valde velociſſimè fertur, & ideo David præmiſit? *Deus in medio ejus non commovebitur*: Ut Deus ſuis præbeat auxilia, non mutatur de uno loco ad alium, ſed vultu ſuo, intuitu ſuo, velociſſimè nempe illud præbet, & confert. Arnob. ibi. *Deus jam in te non commovebitur, cùm adjuvat animam tuam Deus aſpectu ſuo.*

Arnob.

201. Tertiò, hæc Domini verba, *ecce venio citò; tene quod habes*, componit Rupertus cum verbis illis ſervi iniqui qui dicebat Luc. 12. n. 45. *Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere ſervos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari*. Ecce idem Domini adventus, alteri citus, alteri moroſus apparet. Citus, & brevis eſt bonæ & ſanæ menti, moroſus verò, & longus videtur iniquo ſervo, ebrio, ac crudeli. Sic ait Rupert. lib. 1. in Apoc. *Familiare ait, more Prophetarum, & omnium ſanctorum vigilium, qui adventum illum vigilanter præviderunt, dicere: ecce veniet, velociter apparebit, citò apparebit vobis. At verò ſervus malus putat in tempora longa fieri iſtud, dicenſque in corde ſuo: moram faciet Dominus meus venire, incipit percutere ancillas; comedere, & inebriari.* Vide diſcrimẽ, totum hoc tempus quod uſque ad Chriſti adventum extenditur, de quo in præſenti eſt ſermo cum hoc Epiſcopo (ut multis placet) quia temporale eſt, ac hujus ſæculi, breviſſimum & abbreviatum videtur, & ideo magnis viris ſanctis, & Prophetis breviſſimum videtur qua de cauſa dicunt, *citò veniet, velociter apparebit*. At ſervis iniquis tempora hujus ſæculi longiſſima & largiſſima videntur; & ideo in corde ſuo clamant, *moram faciet Dominus meus venire*: At juſtus, quæ ſunt hujus temporis, pauca, & brevia reputat.

Luc. 12.

Rupert.

Tempora hujus ſæculi parva videntur juſtis, magna, & longa iniquis.

202. Gen. 47.

Interrogatus Iacob à Pharaone de annis vitæ ſuæ reſpondit Gen. 47 n. 9. *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt, parvi & mali*. Centum triginta annos vocat parvos, ſeu, ut alii legunt, *paucos*. David dicebat *in potentatibus octoginta annis*. Pſal. 89 n. 10. quomodo ergo centum triginta annos Iacob parvos, ſeu paucos appellat? Non mirum ſanè, nam magnæ, & ſanæ menti, temporales anni, parvi, & pauci ſunt. Sic ait Rupertus citatus. *Eis igitur, qui dormiunt, & præ ebrietate habent ſenſum coanguſtiatum, tempora longa videntur. Nam*

Pſalm. 89. Rupertus.

Pro conſideratione æternitatis tempora ſæculi videntur parva juſtis.

Nam his, qui vigilant, quorum prudentes animas fides enutrivit, ſpes provexit, charitas dilatavit, & magnas fecit; breve exiſtimatur omne tempus præſentis ſæculi pro conſideratione æternitatis

Quæstio XXVI

Quare Epiſcopo Philadelphiæ, non ſolùm ei dicitur, quòd firmiter teneat coronam, ſed etiam comminatur, ita ut alius eam non accipiat?

203. Commendavit Dominus hunc Epiſcopum in multis, quòd in prædicando verbum Dei habuerit oſtium apertum ad regnum cœlorum, quòd multa fuiſſet præditus humilitate: ita graves Auctores interpretantur illud *modicam habes virtutem*, quòd mandatis ſuis obtemperavit, & nomen ſuum confeſſus fuerit, & quòd mandatum, ſeu præceptum de patientia in multis adverſitatibus tenuerit, ac cuſtodierit; nunc autem vehementer exhortatur eum, ut teneat quod habet, ne illius faciat jacturam; & maximè expendendum eſt emphaticum verbum, *Tene quod habes* Quod valdè opportunè exprimit rem in præſenti, nam germana ſignificatio verbi *teneat*, tam juxta Græcos, quàm Latinos idem valet *ac rem manibus fortiter retinere*. Sic & hoc ſenſu ait ſponſa. Cant 3 n. 4. *Tenui eum, nec dimittam*. Et Tullius lib. 1. de legibus, cum ait: *Teneo, quam optabam occaſionem, neque omittam*. Quod hac imagine explicat Alcazar, quando quis aliquod grave pondus ſuſtinet, ut oſtendendo vires ſuas experiatur, illud toto conatu, ac vehementia apprehendit & retinet, ne fortè è manibus elabatur, ſic virtutis bonum, in quo aliqui inceperunt, fortiter, ac vigilanter teneant, ne illud omittant. Pro quo audiendus eſt D. Baſil. apud Strabæum ſerm. 69. *Multi*, ait, *multis ab adoleſcentia collectis, poſtquam ætatis medium attigerunt, obortis afflictionibus per ſpiritus malitia, non potuerunt ferre vim tempeſtatis, utpote imperiti gubernationis, & rerum ſuarum omnium jacturam fecerunt*: Vide ſuprà cap. 2. quæſt. 7. num. 58. & q. 57. num. 429.

Cant. 3. Tullius.

Alcazar. *Fortiter ſtũdum, ne cadas à bono*

204. Quæſtio tamen principaliter inquirit, cur, cum dicitur: *Tene, quod habes*, inſuper additur: *Ut nemo accipiat coronam tuam*? Reſpondet primò Richardus Victor. lib. 1. in Apoc. p. 2. c. 10. *Tene quod habes*, ait, *fidem ſcilicet, & bona opera, & in eis perſevera; ne, ſi non habueris perſeverantiam, alius accipiat coronam tuam. Cum enim ſit Deo certus ſuorum numerus, quando alius per culpam labitur: alius per miſericordiam ſubinducitur, ut in locum, unde lapſi ſunt dæmones, aſcendant homines, & in cultum divinum, quem Judæa reliquit, gentilitas introivit*. Coronæ ſunt certæ deſignatæ, ac numeratæ à Deo, quæ certis ac determinatis obſequiis correſpondent, & ſi quis à ſuo obſequio exhibendo defecerit, Deus ad alium tranſiet, & illum primum expellet, & alium in ejus locum ſubſtituet. Ex Dei mandato ungitur David à Samuële in Regem Iſraëlis, tunc ait Textus: *Directus eſt Spiritus Domini ab illa die in David: Spiritus autem Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam*. 1. Reg. 16. n. 13. & 14. Non implet munus ſuum Saul, eligitur in ejus locum David ad regnum, & Saul exterminatori traditur. Eleganter rem expendit. D. Baſil. Seleuc. ora. 14. *Spiritus autem gratia, à Saüle tranſlata, ſpiritui nequam habitationem concedebat, oportebat, regno Davidico eniteſcente, Saülicum extingui, ut igitur ſol oriens noctem depellit, & obſequenter in noctis confinio radiorum lucem impertitur, ſic Davidis exoriente principatu Saülis regnum vergebat ad occaſum, deſertam igitur à gratia Saülis animam nactus Dæmon, proprium ſibi effecit domicilium.* Quid elegantius? Datum fuit Saüli regnum, ut ipſe Dei mandatis obtemperaret, quæ ipſe neglexit, & inde factum eſt, ut Deus alium ſibi regem provideret, nimirum Davidem, ad quem, ubi unctus eſt gratia migravit ad eum, & cùm gratia tranſmigrata eſt ad Davidem, cœpit Saül deſeri, & Saül traditus èſt exterminatori, qui fecit illum cum omni domo ſua perire.

Si unus eſt inutilis in Dei obſequio, alius ad illud eligitur.

1. Reg. 16. D. Baſil.

205. Richard. Anſbert.

Secundò expende citata verba Richardi, *Cum enim ſit Deo certus ſuorum numerus*. Sic & Ambroſius Anſbertus loquitur in præſenti, *Stupenda prorſus*, ait *conſideratione intuentes huic ſacrato, ac definito electorum numero, nec addi quemquam poſſe, nec minui, cùm Dominus ac Redemptor noſter ſic iſtum propriam coronam dicit amittere, ut alius eam percepturus accedat. Ubi intelligitur, nec alium poſſe ſuccedere, ſi quod ille tenet, perſeveranti fine cuſtodierit.* Admonetur Epiſcopus, ut teneat quod habet, ſua nempe merita, perſeverantiam, *ut nemo accipiat coronam ſuam*, ſeu ut legit Syrus *Cave, ne quis accipiat coronam tuam*, quia, æternæ vitæ præmio condecoretur, cur non ſolùm admonetur, ut teneat coronam ſuam, ſed inſuper admonetur quod ſic eam tenendo perſeveret, nec alius eam accipiat? ut cunctis innoteſcat, quòd ita eſt certus, ac determinatus electorum numerus, ut nec minui, nec augeri valeat & ſi ille, à ſua ſede, ac corona exciderit, alius ad ejus locum ſumendus eſt. Et ideo ſic minatur, ut in eo perſiſtat, & ab illo non cadat. *Cùm Dominus, ac redemptor noſter, ſic illum propriam coronam dicit amittere, ut alius eam percepturus accedat.* Vide quæ dixi tom. 5. in Evang. lib. 7. c. 3. q 4. n. 24. 25. 26.

Electorum numerus non poteſt minui.

206. Tertiò, *Tene quod habes, & nemo accipiat, coronam tuam*. Seu Syrus: *Cave, ne quis accipiat coronam tuam*. Etſi communiter de lapſu à ſanctitate, ac virtute intelligatur; tamen ſunt aliqui Auctores, qui de lapſu à temporali dignitate ac expulſione à ſua ſede Epiſcopali interpretantur, ac proinde non ſolùm ei minatur, quòd amiſſurus ſit ſuam coronam, ac ſedem, ſed etiam, quòd alius ſubſtituendus ſit in locum ejus *Ne quis accipiat coronam tuam*. Quod graviſſimum ingerit dolorem, nil durius homini, quàm quòd ipſe ſuum locum perdat, & alium in eo ſedentem intueatur, pereleganter ponderat D. Bernard ſerm. 8. in Pſal. 90. Cur in finali judicio prius ad regnum cœlorum vocabuntur electi, quàm reprobi in caminum ignis dejiciantur, Matth. 25 n. 34. Sic ait S. Doctor, *Ut videlicet acrius doleant videntes quod amiſerunt.*

Magnus dolor, quòd quis ſuum locum perdat, & alium in eo ſedentem videat.

D. Bernard. Matth. 25.

Quartò